

Q.K.
427
11.

X 187 67 10

MARCIAN.

II i
2371

TONII DE DOMI-
NIS, ARCHIEPISCOPI
SPALATENSIS,

CAUSÆ
PROFECTIONIS SUÆ
EX ITALIA,



BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(BALE)

M DC XVII,



LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF
CAMBRIDGE

THE
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF
CAMBRIDGE

UNIVERSITY OF
CAMBRIDGE

UNIVERSITY OF
CAMBRIDGE

M
V
P
d
P
d
re
n
A





MARCVS ANTONI-
VS DE DOMINIS, ARCHIEPI-
SCOPVS SPALATENSIS, SVÆ PROFE-
CTIONIS CONSILIUM EXPONIT.



E subitus, ac inopinatus, reliquis omnibus, hic meus discessus, mihi tamen diutino, ultra decennium, consilio discussus, exquisitaq; deliberatione maturatus, aliquam passim, apud nostros, moveat admirationem, & apud rei ignaros effectus malos, mea culpa, si sileam, pariat; meæ non præcipitis, sed optimè consideratæ profectiois consiliû, opportuna præoccupatione, fuit omnino exponendum.

Prævideo sanè, non defuturos obtrectatores plurimos, qui ex hac mea profectioe, maledicendi, meq; calumniis de more impetendi, sint ansã arrepturi; id tamen, coram Deo fateor, me non nimium angit, sollicitatque: Mihi enim, cum Paulo, p̄ minimo est, ut ab hominibus judicer. Sim stul-

tus ppter Christum: sim ignobilis; cædar colaphis;
 maledicar; psecutiones patiar: blasphemem; purga-
 mentũ Mundi, & per ipsema, imò & anathema fiã;
 duñmodo Christo Domino satisfaciã, & fratrib. me-
 is in Christi Ministerio, pro sim; debeo penitus cõ-
 temnere. Nam gloria nostra est, testimonium cõ-
 scientiẽ nostræ; quod in simplicitate cordis, & sin-
 ceritate Dei; & non in sapientia carnali; sed in gra-
 tia Dei; locum mutem. Meum profectò est exhi-
 bere me ipsum, sicut Dei ministrũ, in multa patien-
 tia; in tribulationibus; in necessitatibus; in angu-
 stiis; in laboribus; per gloriã, & ignobilitatem; per
 infamiam, & bonam famam: Non enim me, neq;
 mea quero; sed quę sunt Iesu Christi. Angit me po-
 tiùs, ac sollicitat, si obtreccionibus, & calumniis
 obviã non prodiero, facilè futurum, ut, nõ exiguus
 fortasse bonę ædificationis fructus, in piis multorũ
 animis, quẽ ex meis consiliis capere possint, impe-
 diatur: multiq; loco ædificationis, ex injustis, quas
 audituri sint, calũniis, meorum consiliorũ ignari,
 in scandalum aliquod, mei causã, imprudẽtes pro-
 labantur. His ego ut consulã potissimũ, pfectio-
 nis meæ cõsilia aperio; eãq; reddo omnib. manife-
 sta. Meam hanc, in loci mutatione, divinã esse vo-
 cationem, non humanã; nullo modo aut possum,

3
aut debeo ambigere. Scio nō omni Spiritui facile
esse credendū; sed p̄bandos esse spiritus, si ex Deo
sint, ut præclarè monet dilectus Christi Discipulus
Ioannes: In his ego probationibus, præter frequē-
tem integri, ut dixi, decēnii, quem à Christo didici,
ad Patrem luminum, accessum; illud mihi (in quo
Deum, & meam conscientiam, testes advoco) est
certissimum, ad meas aures nullas unquā hominis
ullius, cujuscunq; generis suasiones, pervenisse; in-
vitatores nullos unquā habui; nullos suasores; nul-
lus penitus in hoc sum unquam usus cōsiliis; cum
nemine mortalium rem contuli. Sed neq; ex libris,
Romanæ doctrinæ adversantibus, me mea consilia
hausisse, quis suspicetur: Deum enim testor, me ab
illis libris, quos Romana diligentia p̄scripsit, vehe-
mēter abhorruisse. Quos p̄fectò, si ullus alius Ro-
manæ Curiaē addictus Prælatus, est detestatus; ego
sanè, vanis à puero conceptis terroribus, detestatus
sum supra modū. Quanquam ne puerulus quidem
jam sum, cui sexagenario propemodū, absq; ratio-
num momētis, persuadeat quisq;, q̄ libuerit. Ani-
mi mei ego impetus & cogitationes, aliis regulis nō
sum unq̄ moderatus, nisi iis, quas toti sanctæ Eccle-
siæ, S. Spiritus, in sacris p̄scripsit literis; quarūq; ductu
Orthodoxi S. Patres, in Ecclesia Catholica celebra-

mi, & quos illa semper est plurimum venerata, fideles Christi instruxerunt. Qui tandem soli Sancti Patres, præter internas Spiritus Sancti motiones, cōsiliū hujus mei, amplissimi fuerunt autores. Cur ergo spiritus nequā opus suspicer? A qua me illud præterea suspicione liberat, quòd coram Deo, qui corda & renes scrutatur, me, in mea deliberatione sciā nunquam mentem ad humana & temporalia consilia direxisse. Non ad dignitates Ecclesiasticas, quæ meam decere videbantur conditionē: Jam enim erā Episcopus, nec infimus, sed in patria Provincia Supremus: Spalatēsis nimirū, hoc est, aliàs Salonitanus Archiepiscopus, duorū Regnorum, Dalmatiæ, & Croatiæ, Primas: tantę in nostris Provinciis & Ecclesiis existimationis, quāta (nec erubescā verum fateri) quivis alius. Quod si etiam Romanæ mihi dignitates arrisissent, ad eas quoque mihi aditus semper patuit satis amplus. Mores tamen Romanæ Curia, mihi nihil probati, ut illam perpetuò abhorrerem, effecerunt. Et nihilo minus Romana sedes, in gravioribus etiam publicis negotiis, mea usa est opera, apud Cæsare, & Archiduces, Brevia Pontificia, literæ Cæsareæ, & Archiduciales, quas penes me servo, rem satis testantur,

stantur. Non exigua quoque mea, apud Serenif-
 simam Remp. Venetam merita, illius mihi, quæ
 naturalis meus Princeps est, gratiam paratam ex-
 hibuerunt. Unde melioris fortunæ beneficium
 mihi sperare licuit, & expectare; si majoris ampli-
 tudinis aviditas me tenuisset. Non ad commoda
 tēporalia, quæ mihi sanè tanta suppetebant, quā-
 ta moderato animo, qualem me semper habuisse,
 Divinæ gratiæ tribuo, fatis superque fuerunt. In
 hac verò mea loci mutatione, & dignitatum, & o-
 pum detrimenta, amplector lubens; quia ut dixi
 non quæ mea, sed quæ Jesu Christi sunt, quæro.
 Non igitur humana ulla consilia; non effrenis ulla
 affectio; non necessitas temporalis; non eventus;
 non casus ullus acerbus, qui transversos homines
 solet agere, me ut discederem compulerunt: Sed
 quid illud fuerit, sine furo & fallaciis, dicam inge-
 nuè.

Ego sanè à puero, in sacris studiis, iuxta doctri-
 nam communem Scholasticorum; & iuxta placi-
 ta Romanæ sedis, in societate Jesu, majori ex par-
 te, sum enutritus. Pro quibus mihi Romanis pro-
 priis placitis, autoritate potiùs quàm ratione, cum
 vera intellectus captivitate, impressis, atque peni-

tus

tus in animum infixis, mori etiam fui diu paratissimus. Piaculum enim ducebam, circa illa, vel minimam admittere mentis, & cogitationum, nedum assertionis, ambiguitatem: religioneq; communi obstrictus, si vel cogitatio adversus illa interdum obreperet, aut sacra lectio dubiū suggereret, vim mihi ipsi, ut sit in rebus fidei, semper inferendam putavi; & aliò mentem cogitationemq; divertebam; ne adversus fidei certa mihi putata dogmata, (pro talibus enim nobis pueris venduntur) vel leve dubium admitterem. Fateor igniculos me perpetuò interni spiritus sensisse; quibus tamē resistebam; acquiescere vetò nunquam plenè potui; neque à vehementi suspicione, quæ me perpetuò, postquam in sacris Theologiæ studiis adolevi, anxiū habuit, penitèns me liberare. Quam mihi suspensionem augebat, tam exacta, tamq; rigorosa, & domestica, & Romana diligentia, quâ caveri oculatissimè perspiciebam, ne libri Romanæ doctrinæ contrarii, à quoquam nostrum teneantur, vel perlegantur. Vulgo enim eos meritò prohiberi censebam, ne vulgares homines, judicio, & discretionem destituti, falsitatis imbibendæ periculis exponantur: Quod verò studiosis, & optimè

9
mè erga Catholicam fidem affectis, & sanâ do-
ctrinâ pollentibus, penitùs auferrentur, su-
spicione rem non carere, ut ratio meritò dicat,
semper sum arbitratus. Cùm præsertim, etiâ post
peracta plenè Theologica studia; post assumptos
gradus in Theologia; post promotionem etiam
ad Episcopatus, copiam nobis talium librorum
fieri, nullo modo, Romana Curia patiatur. Cre-
scebat suspicio, quòd magistri ipsi & professores, in
tractandis publicè, sive voce, sive scripto contro-
versis; omninò velint fidem sibi adhiberi; adver-
sariorum dicta, & sententias, illas esse, quas ipsi
referunt: auditoribus verò nullo pacto, excoìn-
municationis injecto terrore, ut legant ipsa adver-
sariorum scripta, permittatur: In quibus abscon-
dendis, suppressendis, perdendis, adeò laboratur,
ut hoc ipso latere aliquid in illis liceat suspicari,
cui convellendo, doctrina nostra non sufficiat.

Fovebam, à primis mei Clericatus annis, in
me innatum pene desiderium, videndæ unionis
omnium Christi Ecclesiatarum: separationem Oc-
cidentis ab Oriente, in rebus fidei; Austri ab A-
quilone, æquo animo ferre nunquam poteram:
cupiebam anxie tot, tantorumq; schismatum cau-
sam

sam agnoscere : ac perspicere, num posset aliqua excogitari via, omnes Christi Ecclesias, ad veram antiquam unionem, componendi; Idque videndi ardebam desiderio. Dolor interno animi ex tot dissidiis, inter Christianæ Religionis professores; ex odiis acerrimis inter nobilissimas Ecclesias inflammatis; ex tunica Christi fœdè scissa, & lacerata, cōcepto, excruciebar. Qui me dolor, & nimia tristitia, mirum in modum conficiebat; & in dies magis conficit.

Ad regimen tandem Ecclesiæ sum, jam ante viginti annos, promotus, & factus Episcopus Segniensis; meis Patribus Iesuitis id satis ægrè ferentibus; quem nimirum, non ociosum, non Societati ipsorum inutilem, & agnoscebant, & experiebantur (quòd ipsum quoq; non plurimi facio: humana enim omnis existimatio, ut debet, à me cōtemnitur; nisi illa ad Divina obsequia aliquid valeat) me, inquam, utilem experiebantur; in medio enim ipso probationis tempore, me adolescētem adhuc, ad humaniores literas, in publicis Gymnasiis Veronæ pfitendas, adhibuerunt. Antequam presbyter fierem, in Mathematicarum Disciplinarum Cathedra publica, me Patavii, non
 sine

sine magno Auditorum concursu, collocarunt. Brixiae me Rhetorices primùm; deinde Logices; Philosophiæq; , in Scholis publicis, constituerunt professorem. In templis verò, diebus festis, ut sacras haberem conciones, nō rarò voluerunt. Privata quoq; , & non levia, mihi negotia peragenda, sæpius injunxerunt: In reliquisque Societatis ministeriis, me impigrum socium semper habuerunt. Quidni ergo meam, ad Episcopatum profectionē, ægrè ferrent? Quæ mihi fuit prima occasio ex subtilibus, & ut ita dicā, aëre-
is, Scholasticorum disputationibus, ad terram descendendi; & studia ipsa in actum practicū, curæ spiritualis animarum, & Ecclesiæ, reducēdi. Et quoniam propriū jam meum munus Episcopale concionandi agnoscebā, Sermonarios, Quadregesimaliumq; libros, de more, arripui evolvēdos: Sed illi mihi brevi nauseam, stomachumq; moverunt. Vidi enim, & facilè, turpem Scripturarū abusum, dum ad sensus vanos, inutiles, ac impertinentes, immò etiam perniciosos, detorquentur: Vidi exempla aut falsa & conficta; aut saltem apocrypha & ridicula proponi: Vidi miserabiliter populum deludi; inventaq; avaritiæ & Am-
bitio-

bitionis, pro sanctis fidei dogmatibus, non sine
superstitionibus, obtrudi, & inculcari; exhorruiq;
ac inde omissis turbidis rivulis, ad sanctorum Pa-
trū fontes mihi omninò statui accedendum; ~~quos~~
quorū lectione pro concionibus: & sacrorū cano-
num meditatione, pro regimine, cœpi delectari.

Hinc novæ mihi cujusdam lucis radii identi-
dē, nolenti adhuc & repugnanti, illuxerunt. Ob-
servabam hinc in theoreticis dicta Patrum, valde cō-
muni doctrinæ, quā imbutus in Scholis fueram,
in multis adversantia; & ea vel prætermissa à meis
magistris, vel non fideliter adducta; vel non suffi-
cienter, aut etiam perperam explicata, animadver-
tebam: inde Ecclesiasticæ Disciplinæ, regiminisq;
spiritualis nostrorum temporum normā, & pra-
xim, plurimùm à veteri dissidentem, non sine ad-
miratione, intuebar. Unde meæ jam dictæ suspi-
ciones, non levibus sunt auctæ incrementis: neq;
nos satis bonâ fide, doctrinam, & negotia Chri-
sti, ac sanctæ Ecclesiæ tractare, quodammodo e-
minus, perspiciebam; qui ingeniosis potius hu-
manæ speculationis, & Philosophicis ratiocinati-
onibus, quàm Divinæ scripturæ exactiùs discusse,
& explicatæ dictis (cujus summa apud nos i-
gno

gnoratio) nostram instruimus Theologiam.

Ab Episcopatu, ad Archiepiscopatum sum e-
 vectus. Ea mihi nova & urgentior occasio subor-
 orta, studia mea innovandi; ac in iis ferventiùs, &
 exactiùs, laborandi. Ubi enim Suffraganeorum
 meæ Provinciæ Episcoporum molestiæ: sed mul-
 tò magis Romanæ Curiaë nimia potētia, jura mea
 Metropolitana perturbantis, me pulsare cœpe-
 runt, omnium Ecclesiasticorum graduum, pote-
 statum, munerum, officiorū, & dignitatū, ac præ-
 fertim Papatus, mihi fuit radix indaganda, peni-
 tusq; cognoscenda. Accessit paulò post Venetū
 interdictum; Romani libelli, nos Venetæ totius
 ditionis Episcopos, ut pecudes, rudes, imperitos,
 & malæ conscientiaë homines, deprimere, vexare,
 ac proscindere non destiterunt. Hinc ad nostras
 perficiendas defensiones; veritatemq; in ipsa cau-
 sa Veneta cognoscendam, novi & ardentioris stu-
 dii, mihi novæ sunt datæ occasiones. Sacri anti-
 qui Canones, Concilia orthodoxa, Patrum disci-
 plina, Ecclesiastica prisca cōsuetudo, fuerunt mi-
 hi etiam atq; etiam pervolutanda. Quid plura?
 Inveni plenissimè in his solis, quidquid quærebā,
 & multò ampliùs etiam quàm quærebam. Jam

B 3

verò

verò apertioribus oculis, facilè fuit observare, doctrinam illarum Ecclesiarum, quas plurimas Roma sibi excitat adversarias, & à nobis acriter reprehenduntur, à nostrisq; Theologis impugnantur, à vera prisca Ecclesiæ puræ doctrina, vel nihil, vel parum admodum aberrare: eamq; , non quod revera hæretica sit, aut falsa; sed quia sensui, corruptisque Curia Romanæ moribus, ipsiusque humanis consiliis & inventis, jam plenè factæ temporalis, adversatur; Romæ, & apud nos, horri potius & repelli, quàm legitimè impugnari. Vidi jam apertissimè, penitusq; perspexi, Romæ, absque ullo legitimo fundamento, imò per sumam vim, innumeros fidei articulos novos quotidie cudi, & nobis obtrudi; in iis, quæ non modò ad fidem Divinam nihil pertinent, sed etiam manifestam in se continent falsitatem. Quos neque à quocquam discuti, neque in debitam Ecclesiæ consultationem venire, illa patitur: sed ad necem illos persequitur, qui vel mutire contra illos audeant. Concilia sacra jandiu ipsa compressit; ac proinde sanctæ Christi Ecclesiæ oculos eruit; ut, Samsonis instar, cæca reddita, viribusque propriis destituta, captiva, vilisque effecta, infelix gemat.

Fuit

Fuit aliquando articulus fidei, universalem Ecclesiam per totum Mundū diffusam, esse Ecclesiam illam Christi Catholicam, cui Christus ipse perpetuam promisit assistentiam: quam Paulus columnam vocat, & firmamentū veritatis: Nunc articulum hunc fidei, nostri Romani contraxerunt; ut jam Catholica Ecclesia, ipsa Romana Curia intelligatur, atq; in ea sola, imò in solo Papa, totum Christi Spiritum residere, firma fide credendum proponatur: Et quicquid in honorem Universalis Christi Ecclesiæ, olim dictum sit, id totum ad solam Curiam Romanam, per summam vim, & injuriam Ecclesiæ, pertrahatur; & ad fidei articulos Romæ reducantur plurima, quorum nullam à Christo habuimus unquam institutionem: quibusq; insuper animæ fideiū miserabiliter decipiuntur; ac consequenter cæci, simul cum suis cæcis ductoribus, in barathrum perditionis ruunt, & præcipitantur. Atque hæc, inter cætera, jandiu me summa afficiunt molestia; doloremq; in animo meo excitant incredibilem.

Innumerabiles verò has Romanæ Curie novitates, perniciosissimosq; errores, quibus & clades animarum exercetur, & disciplinæ Ecclesiasticæ

vigor

vigor frangitur, & fidei propagatio, ac perpurgatio, impeditur; & scandala innumera in Ecclesiam invehuntur; & pax civilis Christianorum turbatur, bellâq; inter ipsos cientur; & Regna subvertuntur: & schismata horrenda fiunt Ecclesiarum; & mala gravissima oriuntur; Quæ omnia iam exactiùs observavi, nunc singillatim commemorare prætermitto; quia hæc omnia in meo opere de Republica Ecclesiastica plenè persequor: quod jandiu præparatum habeo, statimq; illud typis dabo, & calcographo, qui mihi in hoc itinere primus in Germania commodus occurrerit, imprimendum consignabo. Decem ego libris, totum hoc de Republica Ecclesiastica opus complector. In quorum primo, formam hujus Reipub. inquirō, statuôq; Ecclesiam sub Christo, ad perfectissimâ Monarchiam pertinere: in terris tamen Christi Ministros, à Monarchia terrena alienissimos, ipsâ Christi institutione, Aristocraticè, non sine aliqua Democratia admixtione, Ecclesiam ipsam gubernare: & consequenter Petri Primatum, seu Papatum, ostendo, cum Evangelio, & Christi institutione, plurimùm pugnare. In secundo, Ecclesiasticæ Reipub, Rectores, & Ministros considero:

dero: quinam sint, & quomodo sanctis Aposto-
 lis detur successio; & quæ sit Episcoporum insti-
 tutio; & quomodo differant à Presbyteris; & qui
 sint Ministri inferiores; & quid Sacer ordo in hac
 Repub. efficiat. In tertio, explico Hierarchiam,
 quæ inter Episcopos, & hujus Reipub. Rectores,
 invenitur: doceoq; jure Divino, inter Episcopos,
 nullam esse prælationem, nullam subjectionem;
 sed solo jure Ecclesiastico locorum gradus, inter
 Episcopos, distingui: & consequenter ago de Epi-
 scoporum electione, confirmatione, consecrati-
 one, seu ordinatione: de Metropolitanorum, &
 Primatum ac Patriarcharum juribus. In quarto,
 Romanæ Ecclesiæ discutio privilegia; ostentoq;,
 eam neq; in se, neq; in suo Episcopo, neq; in suo
 Clero, ullam habuisse à Christo, supra cæteras,
 præminentiam: sed si quam habuit, vel habet,
 eam ex humanis præsidiis ipsam accepisse. In quin-
 to, propriam Ecclesiæ potestatem indagandam
 suscipio, ac probo, eam esse merè spirituales: ju-
 risdictionemq; omnem ab Ecclesia procul rejicio;
 & consequenter de Sacramentorum vi, & ope-
 ratione, dissero; pariter de Censuris. In sexto, Lai-
 cam potestatem cum Ecclesiastica comparo; ut

C

pateat

pateat inter Ecclesiasticam, & temporalem Rem-
pub. distinctio: Principesq; temporales Christia-
nos, multa posse in Ecclesia doceo; Ecclesiam ve-
rò nihil posse in temporalibus, maximè erga Re-
ges. Ago itaque de Christi Regno temporali; de
potestate Laica, unde sit, & quàm latè pateat; de
immunitatibus Ecclesiarum & Ecclesiasticorum;
de Investituris: de Sicula Monarchia: & simili-
bus. In septimo, internam Reip. Ecclesiasticę per
fidem directionem, contemplor; regulamq; ve-
ram fidei inquirō; & ita disputo de Verbo Dei, de
Ecclesiæ & Papæ in hoc autoritate; de Conciliis:
de Hæresi: de Schismate; & similibus. In octavo,
externum Ecclesiæ regimen per leges, Canones,
& judicia, considero: Ago itaq; de obligatione
Canonum; de dispensatione; de præceptis jejuni-
orum, precum; & similibus. In nono, ad tempo-
ralia bona Ecclesiæ accedo; pluribusque explico,
quàm parca esse debeat ministrorum Ecclesiæ su-
stentatio; unde illa accipiatur: & quomodo bona
Ecclesiæ administrantur. Ago itaque de decimis;
de beneficiis; de dominio in bona Ecclesiæ; de u-
su, & abusu reddituum Ecclesiasticorum: de pensi-
onibus & comendis; & de Clericorum testamen-
tis

tis. In decimo & ultimo, libertatem Ecclesiasti-
 cam explicandam suscipio; ut videamus, quomo-
 do hæc Respub. libera sit; & consequenter ago de
 privilegiis, & privilegiatis: de abusu privilegio-
 rum; de exemptionibus, & exemptis, de Mona-
 chorum subjectione; & similibus. Hic fuit meo-
 rum studiorum fructus. Dum enim occasionibus
 jam dictis, sacra Biblia, Patres orthodoxos, sacra-
 tissimos Canones, Conciliorum volumina, avide
 legebam; apertis jam oculis, zelo veritatis, & mihi
 ipsi & aliis explicandæ incensus, non potui non
 scribere quæ observabam. Atq; hæc mea multi-
 plex scriptio, opus peperit quod recenseo. Vidi
 itaq; planèq; perspexi, nos in nostris Ecclesiis, si-
 ve doctrinam, sive disciplinam spectes, à recto
 tramite plurimùm deviare.

Quid ergò facerem amplius, in medio natio-
 nis pravæ atq; perversæ? Si meam Ecclesiam rege-
 re, ut par erat, juxta veterem Catholicæ Ecclesiæ
 disciplinam; si doctrinam veram Catholicam &
 docere, & exercere voluissem; gravissimas in ca-
 put meum procellas Romanas, fœdissimásq; tē-
 pestates, accelerassem: contra quem jandiu o-
 dium conceptum Romæ fovebatur; quæ meos in

scribendo adversus ipsius sensa, labores, jam sub-
 oluerat; nam & per Nuntium Apostolicum, Ve-
 netiis commorantem, non semel monitus hac de
 re, & correptus fui. Satius ergo fuit pennas colū-
 bæ assumere, & avolare, elongari, fugereq; ad so-
 litudines, ubi expectare possim eum qui salvum
 me faciat à pusillanimitate spiritus, & tempestate;
 quàm me cœcum voluntarium, cum cœcis, in in-
 teritum, cœcos ducere. Quid sunt iam Episcopi
 sub Romano Potentatu? In temporabilibus qui-
 dē, ubi optima sunt sacerdotia, & dignitate emi-
 nēt seculari, Magnates sunt, conspicui sunt, Prin-
 cipes sunt, sed Episcopi, nisi æquivoce, nequaquā
 sunt. Reliquorum verò Episcoporum, Episcopa-
 lis administratio tota perit: regimen enim omni-
 um Ecclesiarum, totum est Romam redactum: i-
 psi verò Episcopi, sunt Domini Papæ vix Vicarii;
 & administri: viles, contemptibiles, oppressi, con-
 cultati subjecti miserabiliter, non soli Papæ, sed
 Cardinalibus, totq; Congregationibus contra il-
 los Romæ institutis; Legatis à Latere; Nuntiis A-
 postolicis; Inquisitoribus; Visitatoribus; ac de-
 mum Regularium innumeris ordinibus, eorumq;
 fratribus, qui jam, suis Apostolicis privilegiis, non
 æquan-

æquantur modò Episcopis, sed eos etiam superant, impediuntq; in regendo, ac eorum absorbent potestatem. Ecclesia, sub Romano Pontifice, non est amplius Ecclesia; sed Respublica quædam humana, sub Papæ Monarchia tota temporali: Vineæ est, ad solum Noe inebriandum: Grex est, quem Pastoremungat ad sanguinem, tondeat, immo radat, immo excoriet, & mactet. Cur igitur non fugiam, ne mala ista videam amplius, neve etiam eorum sim cooperador, & particeps? Canem me Christus in suo grege posuit; mutus esse amplius non debeo, sicut muti sunt omnes Episcopi sub Romano: qui hinc spe allecti, inde metu territi, silent; potiusq; assentando, simul cum Duce, ad præcipitium properant. Quoniam verò Obsequium amicos, Veritas odium parit; cum veritatem deserere neq; possim, neq; debeam; odium propinquum mihi omninò fugiendum fuit; odiiq; effectus iam ordinarii, venena, & pugiones, fuerunt evitandi. Eò enim nostris temporibus redacta res est, ut Ecclesiasticæ controversiæ, non Theologis amplius; non Conciliis; sed tortoribus, sed carnificibus, sed sicariis, sed sanguinariis, sed parricidis, defendendæ Romæ, aut Roma, committantur.

C 3

Hæc

Hæc mihi, etsi fugam semper sua serint vehe-
mentissimè, nihilominus tamen, ancillam quoq;
Agar, cum suo Ismaele, mihi molestam, diu sum
expertus, fateor: Carnem videlicet adversus spi-
ritum sæpius audivi, his vocibus insurgentem:
Quò tandem perges? Dignitatem sub Roma-
no Pontifice satis amplam, & commoda non cõ-
temnenda, cum spe, si vis, aliorum, es assecutus.
Hæc jam possides, hæc certa sunt; quid alibi fu-
turum sit, nescis. Itane & patriam, & cognatos,
& affines, & amicos deseris, ad eos nunquam am-
plius rediturus? Cur te innumeris aliis Episcopis
sapientiosem facis? Illi omnes ferunt omnia, to-
lerant omnia, excusant omnia; cur tu quoq; non
fers, non toleras, non excusas? Tunc solus ex in-
numerabilibus sapias, & alii omnes desipiunt? An
nescis te statim, non absque ingentibus conviciis,
Romæ primùm, deinde passim, Hæretici turpi in-
famiâ notatum iri? Hæc & similia, mea mihi A-
gar, subinde in aures insusurrabat, non sine inter-
no gravi inter ipsam, ac meum internum spiritum,
victamq; jam conscientiam, conflictu: Sed Di-
vinus spiritus vehementiori impulsu, tandem
me ulterius moras necere nõ permisit; Ac veluti
Abra-

Abramum, voce illa efficaci, ad se vocavit, di-
 cens: Egredere de terra tua, & de cognatione tua,
 & de domo patris tui; & veni in terram, quam
 monstrabo tibi: fecitque ut celeberrimum il-
 lud Sapientum dictum, SEQUERE DEUM, re
 ipsa exequeret; quemadmodum illud ipsum, iuxta
 sancti Ambrosii, lib. 1. de Abraham cap. 2. con-
 siderationem, optimus Abram, facto prævenit.
 Quod ipsius factum, mihi admirabili quadam
 ratione animos addidit, & robur; dū cerno, De-
 um promptæ Abrami obedientiæ, illud in primis
 remunerationis contulisse; ut ab eo dedecus atq;
 infamiam longè propulsarit; Saræ enim uxoris
 pulcherrimæ pudicitiam, in manibus Tyranni peri-
 clitantem, à contumelia liberavit. Sed & Am-
 brosius me hinc plurimùm consolatur, dum ait;
 Itaq; quoniam ppter Deum Abram contempsit
 omnia, recepit à Deo multiplicata omnia: Sed
 primam Deus pudicitæ tribuit remunerationem,
 quam gratam sciebat conjugii. Illud quoque præ-
 clare idem addit Ambrosius: Quod is qui De-
 um sequitur, tutus semper est: ideóq; Deum, in-
 quit, præferre debemus omnibus: nec patriæ cõ-
 tuitu, nec parentum, filiorumq; gratiâ, nec uxo-
 ris

ris contemplatione, revocari debemus, ab executione præceptorum cœlestium, quia Deus nobis omnia illa largitur, & potens est servare quæ donat. Hæc me quoq; plurimum confidere faciunt, fore ut in primam meæ, etsi tardioris seculæ, remunerationem, Deus fame, existimationiq; meæ, ante omnia consultum esse velit; ne illa, cuiuscunq; tandem formæ sit, & pulchritudinis, in manibus quoq; Barbarorum, dedecus ullum patiatur: sed illæsa, ac incontaminata, ad aliorum præsertim ædificationem, & scandali evitacione, conservetur. Qua ego confidentia animatus, vocationeq; permotus, ac periculis monitus, fugam hanc arripui iam promptissime.

Charitas tamen Christi super omnia urget me. Vilis essem & abjecti animi, si ad quietem solam fugerem, ut postposito legitimo certamine, otia alicubi torpeam, & marcescam. De Christi causa agitur; ea me ad se vocat. Audio vocem illam, in auribus mihi perpetuò intonantem: CLAMA: monentemq; , quò clamor meus cum illorù clamoribus conjunctus, quorum non sunt incurvata genua ante Baal, meliùs exaudiatur; ut super montem excelsum ascendam, ad evangelizandũ Syon.

Syon. Eam vocem sequor, in tutum aliquem locum ascendo, ubi veritas ipsa Catholica, liberum jam extulerit caput; unde, pro muneris mei debito, eandem veritatem, quantum in me est pandam; schismatumque extinguendorum, & unitatis Ecclesiasticæ refarciendæ, vias aperiam, & demonstrarem. Clamores meos brevi audiet Ecclesia: loquar ad cor Hierusalem; & advocabo eam. Nec enim muneri meo deesse possum: Episcopus sum in Ecclesia Christi: Episcopo porro cuique ita tradita est Ecclesia sua particularis, ut tamen noverit, Ecclesiam quoque Universalem, ubi opus sit, sibi esse à Christo commendatam. Nobis omnibus Episcopis à Paulo dicitur: Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Eleutherii nomine, antiquissimi Pontificis Romani, ad Episcopos illa verba circumferuntur: Hujus rei gratiâ, Universalis vobis à Christo Jesu, commissa est Ecclesia, ut pro omnibus laboretis; & cunctis opem ferre non negligatis: Et Cyprianus, Epistola 13. libri III. se pariter cum Stephano Episcopo Romano, gubernandæ Ecclesiæ libram tenere, asserit, illudque ad-

D

dit:

dit: Copiosum corpus est Sacerdotum, concordia^e mutua^e glutine, atq; unitatis vinculo copulatum: Ut si quis ex collegio nostro hæresim facere, & gregem Christi lacerare, & vastare tentaverit, subveniant cæteri. Sic factò ipso Cyprianus idem Ecclesiis laborantibus, extra Africam quoque constitutis, imò vel ipsi Romanæ, non semel occurrit; ut in meo opere de Repub. Ecclesiastica lib. II. & III, pluribus explico. Ita Polycarpus, Irenæus, Osius Cordubensis, Athanasius, Basilus, duo Eusebii, Samosatenus & Vercellensis, Lucifer Carallitanus, Hilarius Pictaviensis, Theophilus & Cyrillus Alexandrini, Aurelius Carthaginensis, & plurimi alii, Ecclesiæ universalis necessitatibus, ex proprio ipsorum Episcopali officio, ut subvenirent, plurimū laborârunt: relictaq; interim, ac benè instructa, & commendata propria Ecclesia; ad alias afflicta^s & laborantes, se, propria autoritate, contulerunt. A meo itaque munere alienum non est, imò mei muneris maxime est proprium, ut Romanæ Curia^e, sectam separam facienti, & gregem Christi laceranti, & vastanti, pro mea virili, ut monet Cyprianus, non accessu quidem ad eam, quia tutus non est, sed recessu corporali ab ea, sub-

ea, subveniam. Meam equidem ecclesiam Spalatensem retinuissem libentissimè; sicut Osius, Basilius, Eusebii, Hilarius, & alii à me modò nominati, suas retinuerunt, & ad eas, peracto publico Universalis Ecclesiæ negotio, sunt reversi: sed quia illa sub Papæ jugo, cum reliquis, gemit; qui Reformationē odit, & fugit, totisq; suis, & Principum ei adhærentium viribus; eam impedit; habetque in eos, qui Reformationi insistent, vitæ & necis potestatem, nullumque vivum esse patitur; propterea necessariò mihi fuit ipsa mea Ecclesia penitus deserenda: ut ipse, disruptis his quoque vinculis, jam penitus factus liber, promptior sim ad veritatis præconium celebrandum; tutiusque possim ruinas sanctæ Ecclesiæ, quas à Romana Curia patitur, deplorare.

Tremenda quidem est Regis terreni Majestas, qui, ut Tertullianus loquitur, post Deum secundus est, & solo Deo minor; & super quem, ut ait Optatus Milevitanus, nō est nisi solus Deus: propterea, cum aliquando Rex David, de adulterio, & homicidio, esset objurgandus; non summus Pontifex; non alius aut Sacerdos, aut Levita; non quispiam aut amicus, aut familiaris, id mun-

D 1

ncris



neris ausus est assumere : sed Deus ipse , suos proprios ac peculiare ad hoc adhibuit nuncios ; Nathanq̄ ; Prophetam ad Regem increpandum destinavit. Cum Romano verò Pontifice , universam Ecclesiam nunc maximè turbante , scandalizante , expilante , opprimente , agere non est Prophetarum : non est expectandum , ut Deus ad hoc singulares excitet Prophetas , & destinet nuncios peculiare . Non est nostri Romani Papæ , non est tanta Majestas , ut terrere debeat : ficta est illa temporalis & fastuosa Majestas ; usurpata est ; nulla est : frater noster ille est , collega est , & coëpiscopus nobiscum ; ac in opere & labore cōminister , Frater verò qui adjuvatur à fratre , ut est in Proverbiis Salomonis , quasi Civitas firma . Quid stertimus ? quid dormimus ? Frater perit , & secum Ecclesias in perditionem trahit ; Et nos ipsius fratres cōtemnimus , nec occurrimus ? Taceant omnes , quiescant omnes ; contemnant omnes ; Ego cattellus profectò omnium minimus , qualicumque latratu , excitabo saltem fortasse acres molossos dormiens , à Papatu mira arte sopitos , qui lupum arceant , & ovile Christi , ut par est , pro suo munere tueantur .

Non

Non meis utar vocibus, in bonis canibus expergefaciendis; utar Dei vocibus; clamores sanctorum Patrum, ac Conciliorum, sanctæq; Catholicæ Ecclesiæ, ingeminabo. Decem de Republica Ecclesiastica, quos ut monui, statim edam libris, illud maximè conor, ut Romani errores detegantur: veritas & sanitas Catholicæ & doctrinæ, & disciplinæ, aperiatur: Ecclesiæ plurimæ, à nostra Romana abjectæ, & repudiatæ, in Catholico sensu retineantur: Unionis omnium Christi Ecclesiarum via, nutu, & digito, si non demonstrerur, saltem indicetur; si quomodo fieri possit, ut unum dicamus omnes, unum sentiamus, & schismata comprimantur: Principibusq; Christianis ansa eripiatur, oppressionem inter se meditandis; & sub obtentu, Religionis, ac fidei; publicam populi Christiani pacem, & tranquillitatem, bellis importunis, ac verè impiis, perturbandi. Sed potius eò vires suas dirigant, ut Ecclesiæ Christi, sub jugo tyrannorum vere infidelium gementes, in libertatem pristinam vindicentur.

Professionem hanc meam, sive etiam ex Babylone exitum, aut fugam, omni schismatis suspitione carere volo. Fugio enim errores, fugio abusus, fugio ne particeps sim delictorū ejus, & de plagis seius accipiā: A charitate tamen quam debeo Ecclesiæ sanctæ Catholicæ, singulisq; eidem communicantibus, me nunquam separo: sed quantum in me est, cum omnibus, quandiu in essentialibus nostræ fidei articulis, & Symbolis, antiquæ Christi Ecclesiæ convenimus, perpetuo communicare sum paratus: si tamē novos articulos, sive factæ Scripturæ aperte contrarios, sive à Symbolis prædictis alienos, iisq; repugnātes, simul omnes detestemur, & abominemur: Alios vero in se indifferentes, in Ecclesia nunquam sufficienter discussos,

bilitos, & definitos, ꝑ articulis Fidei, nisi prius ad plenū definiantur, aut jam sufficienter definiti esse ostendantur, nequaquam admittamus: Sed neq; eos ut hæreticos, nisi prius ab Ecclesia sufficienter condemnatos esse nobis cōstiterit, aut condemnentur, condemnemus. Relinquatur itaq; in indifferentibus, libera cuicunq; Ecclesiæ facultas opinandi & operandi, & unaquæque abundet in sensu suo, donec ipsa Ecclesia Spiritu Christi instructa, & recta, controversis finem imponat; verasq; paleas separet à veris granis.

Interim verò celeberrimum celeberrimi dictum tenemus Cypriani, quo in Concilio Carthaginensi usus est: Neminem, inquit, judicantes, aut à jure communionis aliquem, si diversum senserit, amovētes. Neq; enim quisquam nostrūm Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore, ad obsequendi necessitatē, collegas suos adigit: quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis, & potestatis suæ, arbitrium proprium; tanquam judicari ab alio non possit; cum nec ipse possit alterum judicare: sed expectemus universi judicium Domini nostri Jesu Christi; qui unus, & solus, habet potestatem, & præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione; & de actu nostro judicandi. A Romana itaque, imò ab universa ferme Ecclesia, circa Baptismum hæreticorū, tunc Cyprianus dissentiebat, & propria firmatus opinione, Stephanum Romanum sibi acriter in hoc resistentem, cæterosque ferè omnes, in aperto errore versari existimabat; nihilominus tamen vinculum inter ipsos unionis, & charitatis Ecclesiasticæ, abrumpi nunquā est passus, ne schisma, quod est pestis perniciofa Ecclesiarum, inter eos exurgeret. Atque in hoc plurima cum sua laude, Stephani

Non

non omnino discreti zelum, Cyprianus superavit. Dum enim Stephanus suis excommunicationibus in malum schismatis ruebat, Cyprianus sua patientia & charitate, eximiaque prudentia, separationem evitavit. Et in hoc Cyprianum sæpè S. Augustinus plurimum laudavit, proposuitque actiones Cypriani, tanquam formam, regulam, & exemplar toti Ecclesiæ, ad imitandum.

Ac inter cætera, dum factum Cypriani, & cum Stephano certamen, considerat Augustinus, in suo quinto de Baptismo contra Donatistas lib. cap. 25. ait: Vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, ut in tali discrepatione, nullum inter eos malum schismatis oriretur. Illud itaque Cyprianus tanquam certum habebat, Stephanum vehementer errare, dum hæreticos ad Catholicam revertentes, absque novo Baptismo reciperet: Et nihilominus maluit, non modò cum ipso Stephano, ab eo longè diversa sentiente, & operante; sed etiam cum illis, quos impuros omnino censebat, communicare; ex eo tantum, quod illi à Stephano in communionem reciperentur; quàm schismate Ecclesiam scindere. Et hoc S. Augustinus Donatistis exemplum ad imitandum proponit; proponit & nobis.

Imitemur itaque, Pater Beatissime, vosque Patres, fratresque & collegæ sanctissimi, Cyprianum; Augustino obsequamur; ut ante omnia, schismata auferantur: Cyprianus enim, ut observat Augustinus; sanctis charitatis visceribus largissimè præditus, in unitate eis manendum putavit, qui diversa sentirent, Sentiamus & nos inter nos diversa, quousque plenè definiantur, quæ plenè nondum sunt definita: sed interim tamen in unitate maneamus. Nam etsi aliquid aliter sapitis, ut monet Apostolus, & hoc vobis Deus revelabit. Nolite majora, quàm sunt, schismata

effice-

QK II:2 371
 efficere: Cavete & vos, ne cum Stephano, excommuni-
 cationibus importunis, charitatem abruptere tentetis:
 ne hujusmodi discrepationibus, ullum inter nos, q̄ præ-
 cavebat sanctus Augustinus, malum schismatis oriatur.
 Pacem & charitatem omnibus Christi Ecclesiis, per essen-
 tialia fidei Symbola Christum profitentibus, restituite.
 Longe gravius in Ecclesia malum esse schisma, quàm hæ-
 resim, pro certo habetote. Communionem vestram, fal-
 vis opinionibus, pulsas tamen falsitatibus, promptam o-
 mnibus exhibete. Veritatis disquisitionem, legitimis &
 consuetis Ecclesiæ sanctæ modis, liberè faciendam, relin-
 quite. Sic enim Christi gratia opitulante, qui se sincere
 quærentibus denegare non solet, brevi futurum spero, ut
 plena pax & concordia, adeoq; necessaria sanctarum Ec-
 clesiarum unio, consequatur: ut idem sapiamus, & in ea-
 dem permaneamus regula. Accendamus inter nos faces,
 non odii, nec simultatum; sed Religiosæ Catholicæque in-
 structionis: Lucerna pedibus nostris sit Verbum DEI:
 Sanctorum antecessorum nostrorum, qui singulare in Ec-
 clesia Christi lumen fuerunt, prænamus vestigia: Luce
 veritatis Evangelicæ, absq; firma obstinatione, tenebras
 errorum & falsitatum disjiciamus: A novitatibus, quæ an-
 tiquam sanctæ Ecclesiæ doctrinam, & disciplinam, pene
 extinxerunt, recedamus; ut Ecclesia Christi in terris uni-
 ca sit, cōcordiæ perfectæ glutine copulata: In qua omnes
 unanimes, uno ore, honorificemus Deum, & Patrem Do-
 mini nostri Jesu Christi, Amen.

Venetis die 20. Septembris.

Anno 1616.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
 Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Kodak
 LICENSED PRODUCT

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

